

tur primo tendit Placitum Regium, ut Litteræ Apostolicæ felicius, ac facilius exsequi possint.

X. Huc accedit et alia ratio, ne scilicet falsæ Apostolicæ litteræ exsecutioni mandentur non sine Sedis Apostolicæ infamia, ac populi offendiculo. Cautum id in pluribus Regnorum Constitutionibus ad augmentum Ecclesiastice Majestatis, et securitatem populi Christiani.

XI. Nec abludit et ea ratio, quod aliquando per obreptionem, vel subreptionem quedam sive decreta, sive rescripta sollicitentur, quæ deinde exsecutioni mandari non possunt sine evidenti partium detimento, ac notoria justitiæ offensione.

XII. Adhuc ipsi Pontifices, ut rescribatur permittunt, si quandoque in publica jura, et privilegia illa impingant; ut monuit Pius II. Epist. ad Carolum VII. Galliae Regem: *Quod si in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuæ celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare.* Eadem habet Alexander III. cap. 5. de Rescriptis: *Si quando aliqua tuæ fraternitali dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infra: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam pœtendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et Cap. 6. de Præbendis idem R. Pontifex sic scribit: *Si mandatum nostrum pro alicujus provisione receperis.... æquanimiter sustinemus, si pro ea mandatum nostrum non duxeris exsequendum.*

XIII. Quid quod romani Pontifices aliquando intercesserunt, ut perniciosæ ciuilis potestatis leges rescinderentur? Hinc Zenonis Imp. *Henoticon Felix Papa, Heraclii Ecclæsim Severinus, et Joannes IV. Constantis Typum Martinus I. damnarunt;* et Gregorius M. Mauriti legem de arcendis ab monachismo militibus tum improbavit, tum apud imperatorem datis litteris egit pro obtinenda legis moderatione: scilicet, ut cum delectu milites ad vitæ monasticæ professionem admittantur. Eadem fermè ratione; ne scilicet inveteratæ locorum consuetudines, privilegia, instituta convellantur, neve in publica commoda offendatur, Rom. Curiaæ decretis aliquando Principes intercedunt; non quidem, ut ipsi de caussa cognoscant, aut jura expendant, sed ut iterum sub rectissimis Sedis Rom. oculis res subjiciatur, ac novo adhibito examine, novisque expensis rationibus maturius de ea decernatur.

XIV. Hæc forte animo volvens Sapientissimus Romanus Pontifex Benedictus XIV. ac precibus etiam flexus nostrorum Principum, inter secretoꝝ novissimi concordati articulos *Regi Exsequatur* consuetudinem recenseri passus est; id simul cavens, ut mandata Apostolica quam citissimè per regios ministros expedirentur.

(\*\*) XV. Apud nos nullum Breve, nulla constitutio, Rescriptum nullum Sedis Apostolicæ exsecutioni mandari potest, quin prius Placitum regium, vulgo *Pase* obtineatur; iis exceptis, quæ emanant a Sacra Pœnitentiaria pro foro conscientiæ. Ita tamen, ut I. Brevia pro Indulgencis, et pro recitandis Officio, et Missa in aliquo Sancti honorem, Generali Sanctæ Crutiæ Commissario exhibenda sint: Leg. XXXVII. n. 6. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.

2. Ea verò in quibus conceduntur a dataria dispensationes ad contrahenda matrimonia, et ordines suscipiendos, vel privilegia ad oratoria privata, et id genus alia, quæ vocantur gratiosa, Episcopo Diœcesis exhibenda sint, ex Leg. XXXVII. n. 7. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.

3. Reliqua verò et hæc ipsa, quæ dicuntur gratiosa, quum vacat Sedes Episcopalis remittenda sint primo gubernii tribunalí supremi Castellæ Senatus, ex præf. Leg. XXXVII. n. 8.

4. Bullæ quævis, quæ regium respiciunt patronatum supremo cameræ tribunali examinandæ exhibeantur, ubi quodlibet de ipsarum retentione dubium exortum discutitur, et terminatur: *Sanction. VII. Tit. VI. Lib. I.* vulgo *Autos acordados.* Lites verò de cæterarum Bullarum retentione ad tribunal ita adpellatum *Justitiae* advocantur: *Sanct. XV. cap. 25. Tit. IV. Lib. II.* vulgo *Autos Acord.*

5. Dispensationes ab obtinendas præbendas ante etatem a Jure præscriptam, ipsius Castellæ Senatus nomine a regio procuratore supplicanda sunt: Ex regio Decret. 30. Maii an. 1771.

6. Addesis, quod ex regio decreto a Supr. Castellæ Senatu edito 11. Septembris an. 1778. pro quibuslibet gratiis ab Apostolica Sede impetrantis, iis exceptis, quæ arctatis et a Sacra Pœnitentiaria conceduntur, ad suum unusquisque ordinariū accedere debet, ad quem, precibus una cum sui ipsius testimonio ab supremo regni ministerium missis, indulta regio nomine expedita, et in supremo Castellæ senatu perscrutata, remittentur (\*) (1).

## CAPUT SEXTUS.

### DE REGULIS JURIS.

Ut sunt in philosophia quedam axiomata seu principia generalia, in medicina aphorismi, quibus innumeræ quæstiones solvuntur, ita in Jure sunt etiam plures regulæ magni momenti, quæ fundamenti locum tenent. Collecta hujus modi axiomata edi jusserunt Gregorius IX et Bonifacius VIII ad calcem Decretalium et Sexti. Quisquis eas regulas communes expenderit; videbit plerasque convenire omni legum generi; undè earum expositio relinqui potest iis qui tractant de *Lege* in communi. Nos quasdam tantum sententias quæ vel magis propriæ sunt Jure canonico, vel quas præ oculis habere magis necessarium est, summatis expendimus, prout spectant 1.º ad interpretationem legis canonice, 2.º ad effectus ejusdem, 3.º ad privilegia, et ad dispensationes.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE REGULIS INTERPRETATIONIS.

Interpretatio in genere est explicatio congrua et clarior alicujus vocis vel propositionis.

Interpretatio spectari potest vel *in se*, prout est expositio, vel ex parte profertentis.

I. Interpretatio *in se spectata* duplex distinguitur. Prima fit per modum *declarationis*; dicitur *interpretatio litteralis*, et *impropriæ dicta*, et nihil aliud est quam expositio verborum per alia verba clariora; ut quando exponitur *verbum*, vel *verbi sensus seu constructio*, quasi grammaticaliter ad literam. Ita hanc definit Cap. *Exiit qui seminat*, 3. de Verborum signif. in 6.

Secunda fit per modum *suppletionis*, diciturque *interpretatio proprie dicta*, et

(1) Vide notam XIX ad prolegomena.

est expositio sensus, facta, non spectando nudam literam, nec corticem verborum, sed mentem legislatoris, ut cognoscatur utrum ad talem obligationem lex debeat extendi, an verò debeat restringi et coarctari. De hac interpretatione dicit caput. *In his*, 15, *de Verborum signif.* "Non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeat deservire." Si lex ipsa declarat quod debeat secundum litteram observari, et absque interpretatione, de secunda tantum specie id intelligendum est.

Ad secundum hoc genus interpretationis accedit *epieikia*, seu illa interpretatio, qua declaratur casum aliquem individualem non comprehendendi in lege, quamvis aliundè constet de sensu legis universaliter sumptuæ. Hujusmodi exceptions admittinge sunt. Nam ut dicit *Jus romanus* (3, ff. *de Legibus*, ea quæ semel aut bis accidunt contemnunt legislatores; et tamen contingere potest ut lex applicata huic circumstantiæ sit durior et parum æqua.

Ad epieikiam refertur caput *Quod non est*, 4, *de Regulis Juris*. "Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam sabbatum custodiri præceptum est; Machabæi tamen sine culpa in sabbato pugnabant. Sic et hodie, si quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur."

II. Interpretatio, *spectata ex parte eorum a quibus procedit*, multiplex etiam est. Primo interpretatio *authentica*, seu *necessaria*, ea est cui subditi acquiescere tenentur. Si proferatur ab ipso legislatore vestiatiturque debitibus formis, dicitur interpretatio *necessaria generalis*; ea interpretatio est præcipua, quia æquum est, ut *Unde jus procedit ejus quoque interpretatio procedat*; secundum quod dicitur cap. *Inter alia* 31, *de Sentent. excomm.* Si proferatur a ministro principis, a judice, dicitur *necessaria particularis*; Quando interpretatio *superioris* non est intrinseca legi, quando est per modum *suppletionis* et extensionis, ut necessariò teneantur subditi ei obtemperare, communior sententia est requiri eamdem promulgationem quæ necessaria est ut lex vim robur habeat. Ita *Suares*, lib. VI, c. 1. *Reinfestuel*, etc. Interpretatio autem *judicis* non ligat nisi eos circa quos pronuntiat.

Interpretatio *usualis* ea est quæ eruit ex consuetudine legitima approbata; et ea vim legis habet, si consuetudo illas omnes conditions habeat, quas jam supra enumeravimus.

Interpretatio *doctrinalis* ea est quæ accipitur a peritis juris; et cui in tantum inhærendum est, in quantum est verè probabilis. Tunc illa præcipuum habet auctoritatem, quando convenient doctores: nec enim *regulariter loquendo* licitum est ab interpretatione communi recedere, quia tunc vix potest accidere ut in explicanda lege humana occurrat ratio contraria, quæ sit efficax et apta ad securandam conscientiam. At verò ubi variae sunt sententiae, ponderandæ sunt rationes et auctoritates.

### § I.

QUÆ SINT GENERALES REGULÆ, QUAS AD LEGUM INTERPRETATIONEM PROPRIETATEM SUBMINISTRAT JUS CANONICUM?

Ubi agitur de interpretatione legum, duo semper præ oculis habenda sunt: ipsa *verba legis*, et *mens* seu *intentio legislatoris*.

I. Certum est, in omni lege humana, ante omnia considerandam esse verborum proprietatem; ita ut a verborum propria significatione non recedamus nisi obstet aliquid, juxta regulam *Juris Romani*, quam admittunt vulgo canonistæ; "Non

"aliter in significatione verborum legislatoris recedendum, quā cum manifestum est ipsum aliud sensisse." Duplex distinguitur verborum proprietas; *naturalis*, quæ habetur secundum vulgarem hominum conceptionem, et *civilis*, seu potius *juridica*, quæ oritur ex fictione Juris: sic *mors* significat *naturaliter* finem vitæ; et in *Jure* applicatur professioni religiosæ, etc. Porrò ex objecto legis judicandum est qualis proprietas prævalere debeat: an *naturalis*, an *juridica*?

Ex ea regula sequitur *verba clara non admittere interpretationem*: item verba generalia, generatim et indistinctè esse intelligenda, nisi per aliud distinguatur, juxta axiomam. *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* (1). Dixi *nisi per aliud distinguatur*: nam valet quoque istud aliud axioma: "Generi per speciem derogatur" (cap. 34, *de Reg. Juris*).

Cæterum ex alia parte clausula limitatoria, quæ casum aliquem a lege generali excipit, censetur eadem firmare in reliquis casibus non exceptis, juxta axiomam: *Exceptio firmat regulam*: Vide cap. *Dominus*, 6, XXXII, 7. Pariter juxta caput *Qualis hinc*, 4, Dist. 25; "Quod de uno negatur, consequens intellectus patet ut de quibusdam concedatur."

II. Cavendum est ne potius attendamus ad verba quā ad intentionem et mentem legislatoris. Meritò id commendat S. Gregor. Cap. *Propterea*, 8, *de Signif. verb.* "Propterea, si epistolam meam ad interpretandum accipere te fortassis contingerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur. Notetur etiam Cap. *Certum est*, 28, *de Regulis Juris* in-6. "Certum est quod is commitment in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem."

Mens legis colligitur præcipue ex *ratione* seu *motivo* legis. Cap. *Intelligentia* 6, *de Verb. signif.* "Intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo est subjectus." Propterea *ratio* legis dicitur a jurisprudentia anima juris. Hujusmodi regulæ applicationes sunt sequentia axiomata: "Quod alicui suo non licet nomine; nec alieno licet." (Cap. 67, *de Reg. Jur.*) *Cum quid prohibetur; prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.*" (Cap. 30, ibid.)

Propterea ubi eadem est *ratio*, eadem causa finalis adæquata, Jus idem censetur præcipere: v. g. circa conjugatos, in iis quæ pertinent ad torum, quod de una parte statuitur, alteri applicandum est.

### § II.

QUÆ SENSU CELEBRI REGULA: ODIA RESTRINGI, FAVORES DECET AMPLIARI SIT INTELLIGENDA?

Ut intelligatur ea regula, præmittendæ sunt notiones 1.º circa *restrictionem* et *extensionem* legis: 2.º dicendum est quid sit *odiosum*, quid *favorabile*: 3.º determinandum est qualiter applicetur dictum axioma.

I. Circa primum, lex dicitur *restringi*, quando verba, suadente æquitate, non sumuntur in tota sua latitudine seu generali significatione, sed sumuntur in stric-

(1) Regulam confirmat et exemplum ministrat caput celebre *Quia circa*, 22, *de Privil.* "Quia quæsivisti utrum Monachi privilegium prædecessoris tui de decimis Episcopalibus remittendis extendere valeant ad possessiones postmodum acquirendas; damus responsum quod prædecessor tuus indefinitè decimas episcopales remittendo, cum nihil exceperit, et potuerit exceperisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, intellexisse videtur non solum de decimis possessionum illius temporis, sed futuri."

tiori sensu. Sic v. g. licet *populus* comprehendat clerum in favorabilibus, expressè dicitur *interdicto populo non interdici clerum*. (Cap. *Si sententia 16, de Sent. excom. ix-6.*) Lex verò extenditur quando applicatur ad casus qui in ea non sunt expressi.

II. Circa secundum; rejiciendæ sunt primò falsæ aliquorum interpretationes, qui credunt id esse *odiosum* quod ligat conscientiam, quod imperat aliquid difficile. Nam quod omnibus commune est, et propter bonum commune præcipitur, non est *odiosum*. E contra id habendum est ut *favorabile*, quod præstat homini auxilium ut efficaciùs juvetur ad vitandum malum, et ad observandam legem naturalem. Sub eo respectu præceptum *confessionis* annuæ est quid favorable, itemque præceptum abstinentiae, etc. Ea verò dicuntur *favorabilia* purè ac simpliciter quæ merum beneficium concedunt alicui, absque præjudicio alterius, et absque læsione juris communis: talia sunt quædam privilegia, v. g. *privilegium altaris privati*, certæ indulgentiæ, etc. Ex verò censemur purè *odiosa*, quæ *directe* imponunt meram pœnam aut gravamen. Licet enim semper leges pro objecto habeant bonum commune, id *odiosum* est quod *directe* tendit ad *gravandum*. Interdum eadem lex sub uno respectu potest esse *favorabilis*, et sub alio *odiosa*: sit in exemplum tributum, quod imponitur pro causa valde pia et omniò necessaria. Igitur ut pronuntiari possit circa naturam legis, oportet spectare ad principalem intentionem legislatoris, utrum magis *directe* sibi proponat favorem præstare alicui, an verò *onus* imponere.

Quatuor præcipue sunt species legum quæ *odiosæ* reputantur, et quæ sunt directè *pœnales*, puta lex quæ duellantes plectit excommunicatione; leges quæ imponunt tributa vel *onera* positiva; leges irritantes actus; leges *exorbitantes* a Jure communi, ad quam speciem debent reduci et et quæ restringunt jura acquisita, et et quæ ligant facultates, etc.

Ex ea expositione intelligis 1.º *privilegia* esse interdum *favorabilia*, interdum *odiosa*. Ea sanè sunt *odiosa* quæ *exorbitant* a Jure communi: licet enim superior favorem intenderit concedere, ex altera parte bonum commune videtur obstat, ne faciliùs id fiat.

E contra, *privilegia* ea non sunt *odiosa* quæ *præter Jus commune*, sed propter bonum commune conferuntur: potestas dispensandi, v. g. ex omnium consensu est *favorabilis*; non affert præjudicium nisi ipsi superiori qui eam potestatem communicat. Eo sensu valet axiom: *Beneficia principum sunt interpretanda latissime*.

Pariter 2.º plerumque *dispensationes* habendæ sunt ut *odiosæ*, licet potestas dispensandi sit *favorabilis*. Ratio est quod *dispensationes* vulnus inferant disciplinæ, qua de causa dicitur cap. *Hac ratione*, 9, XXXI, I. "Aliud est præcipere, aliud permettere. Quod enim præcipimus semper placet: quod autem permittimus, nolentes permittimus."

Exemplum et probationem ministrat cap. *Is qui*, II *De filiis presbyter.* in 6. "Is cum quo per Sedem Ap. dispensatur, ut, non obstante præmisso (natalium defectu, valeat ad beneficium, etiamsi curam animarum habeat, promoveri, nequit, pretextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem a Jure oportet revertuti odiosam restringi, nisi unicum beneficium obtinere." Ad similes casus fiat applicatio.

Intelligitur etiam 3.º *reservations* generatim esse habendas ut quid *odiosum*, præsertim quando *restringunt* jurisdictionem ordinariam. Revera quidam con-

tendunt reservationem in potestate absolvendi a *censuris* et *peccatis* esse quid favorable, quia inducta est ut majorum criminum rei a peritiore medico curarentur. At communissimè habetur ut quid *odiosum* et meritò quidem; quia non solum coarctat jurisdictionem confessarii, sed etiam confessionem difficiliorem pœnitenti reddit: unde strictè debet intelligi.

III. Circa tertium. Non ita sanè intelligendum est dictum axioma quasi licet verba legis detorquere: ut enim alicubi dicit *Jus Romanum* de aliqua dispositione: *Quod quidem durum est; sed ita lex scripta est*, etc.

Si autem verba legis plures sensus vel aliquam latitudinem habeant, in materia *mere favorabili*, ea verba taliter accipienda sunt, ut gratia quam maxima conferatur et quam plurimis personis, etc., salva naturali comprehensione terminorum: in *odiosa* verò e contra, ita sunt interpretanda ut pœna vel gravamen, quantum fieri potest, minuatur, et ad pauciores casus restringatur. Assertio illa omnino agnoscitur in utroque Jure. Sic *Jus Romanum* lege *Dilecti 6, de Donation.* "In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda." Sic *Jus Canon. Regul. Jur. 30. in-6.* "In obscuris minimum est sequendum." Es *Reg. 59.* "In pœnis benignior est interpretatio facienda."

Exempla latæ et strictæ interpretationis ea afferri possunt cum doctoribus: *Vox populus*, in materia *odiosa* non comprehendit *Clerum*. Caput. *Si sententia 19, de sent. excomm. in 6*, dicit *interdicto populo*, non censi interdictum esse clerum nisi aliud sit expressum. At in materia *favorabili*, ea *vox* comprehendit *clerum*. Similiter in *odiosis*, nomine *clericorum* non comprehenduntur *Episcopi*, cap. *Quia periculosum 4 de sent. excomm. in-6*; neque *canonici*, aut alii dignitate ecclesiastica constituti, cap. *Sedes Apostolica 15, de Rescriptis*; neque *religiosi* utriusque sexus, sed soli clerici *canonicis* inferiores, secùs verò dicendum est in materia *favorabili*, saltem quoad *Episcopos* et *canonicos*.

In legibus quæ pœnas, v. g. censuras, pro certis criminibus imponunt, pœna incurri non censemur, nisi crimen fuerit consummatum in ea specie, modo et gradu quem legislator designavit; v. g. si censura lata sit in eum qui perpetraverit *homicidium*, non sufficeret vulnus etiam lethale, quandiu mors non fuerit secura. Si lata sit in eum qui attentaverit, non sufficeret *præparatio* mediocriter occisivi. .... Si lata sit in facientem talem actum per se loquendo non afficeret cooperantes per mandatum, concilium, etc. Si in eum qui temerario *ausu, audacia, et contemptu* talem actum fuerit, pœna non afficeret agentem ex ignorantia etiam vinclibili, modo non fuerit affectata.

Similiter pœna legis non debet *generatim loquendo*, extendi privata interpretatione ab uno casu ad alium non comprehensum sub obvio sensu verborum, propter solam similitudinem rationis. Legislator enim potest habere motivum subjiciendi pœnae unum et non alium. Sic sub percusione *patris* aut *matris* non intelligitur *avus nec avia*. Censura contra *legentes* libros hæreticos non extenditur ad *audientes*.

Dicimus tamen *generatim*, quia lex pœnal is extendi debet ab uno casu ad alium non expressum, quandò lege non extensa sequeretur iniquitas, imprudentia, vel absurdum in legislatore. Sic v. g. qui facit sibi legi librum hæreticum, eamdem incurrit pœnam ac si ipse legeret. Idem dicendum est, quando adest inter duos casus non mera *similitudo*, sed *identitas* rationis, et ratio hæc sit finis unicus et adæcuatus legis: v. g. si lex pœnam decernat *pro matrimonio scienter contracto*,

*priore uxore adhuc vivente, licet videatur talis lex solum virum attingere, attamen dicitur extendenda ad mulierem, quæ scienter contrahit aliud matrimonium, vivente priore marito.* Suares, Pauwels, *de Legibus.* Reiffenstuel, in lib. 1, tit. 2, n.º 431.

Si lex sub uno respectu sit odiosa, sub alio vero respectu favorabilis, unusque respectus ab alio secerni valeat, eadem lex poterit extendi sub uno respectu, et respectus sub alio. Sic in celebri Can. 29, Causa XVII, qu. 4. "Si quis suadentem diabolo.... in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematizati vinculo subjaceat, etc." favorable ab odioso separari potest: ideo pars prior extendi, et posterior restringi debet. Itaque si religiosus, etiam laicus seu conversus, vel monialis, et juxta quosdam novitus, fuerit ab aliquo verberatus, percusor excommunicationem incurrit, quia lex lata est in favorem status clericalis et monacalis. Sed si aggressor non percusserit, at tantum manum levaverit, aut verba contumeliosa protulerit, pena ab eo non incurrit, quia stricte sumenda sunt verba: *violentas manus injecerit.* Reiffenstuel, l. citato.

## ARTICULUS II.

### DE EFFECTIBUS LEGIS CANONICÆ.

Primarius effectus legis est inducere aliquam obligationem, ut patet. Passim numerantur quatuor effectus speciales: *præcipere, prohibere, permittere, punire.* Additur a quibusdam quintus effectus *irritare* seu invalidare actus qui contrarii sunt legibus; ab aliis ille effectus sub prohibitione continetur. (Non admittitur communiter eorum sententia qui volunt *omnes leges irritantes esse penales*: etenim aliquando legislator directe aliud intendit quam punire.)

De legum *penalium* interpretatione nonnulla diximus in praecedenti articulo; cetera remittimus ad tractatum de *judiciis ecclesiasticis.*

De eo effectu per quem quibusdam permittitur quod aliis negatur, dicemus articulo sequenti.

Pauca dicenda sunt de *obligatione* legum, et de *irritatione* quorundam actuum ex ipsa vi legis canonicae.

#### § I.

##### QUANDONAM LEX CANONICA GRAVITER CENSEATUR OBLIGARE?

Leges canonicae tunc censemur gravem in conscientiam obligationem impnere; 1.º quando legislator utitur verbis, quæ implicitè damnationem æternam comminatur, v. g. *Sub interminatione mortis æternæ; Qui hoc fecerit, divinam maledictionem incurrat,* etc.; 2.º si adjiciat comminationem censuræ ecclesiastice, ut excommunicationis majoris, interdicti; 3.º ex gravitate materiæ. Ad ampliorum expositionem videoas tractatum de legibus.

Ibidem expenditur quæstio circa eum qui obligatur ad servandas leges Canonicas, utrum v. g. ipse superior teneatur, utrum peregrinus, etc.

#### § II.

##### QUANDONAM LEGES ECCLESIASTICÆ IRRITENT ALIQUEM ACTUM?

Præmittuntur plures observationes. I. Actus aliquis humanus, puta electio, contractus, judicium, duplii de causa potest esse *irritus* seu *nullus*: vel ex ipsa natura rerum, vel ex dispositione positiva legis.

### PROLEGOMENA.

Ipsa rerum natura prorsus invalidus est actus, quando operans caret potestate; puta si judicium exerceat is qui jurisdictione caret, aut si illud exerceat super materia quæ ad eum non spectat, juxta cap. 26, *de regulis Juris* "in-6. Ea quæ fiant a judice, si ad ejus officium non spectant, viribus non subsistunt."

Certum est etiam legislatorem posse vi legis positivæ, propter bonum communne, *irritare* plures actus humanos, ita ut nullum effectum moralem inducant. Probatum ex præxi Ecclesiæ, quæ multoties irritat electiones, (V. Caput *Quia properter*, 42, de Elect. infrà, n.º 94) vel contractus, ut matrimonia clandestina, etc. De his intelligitur *regula Juris* 64 in 6. Quæ contra *Jus* fiant, debent utique pro infectis haberi.

Lex positiva duplii ratione potest *irritare* aliquem actum, videlicet *ipso facto*, seu *ipso Jure*, quando, non exspectata sententia judicis, per seipsam irritat; vel per *sententiam judicis*, quando nempe lex ipsa mandat ut judex annulet actum.

His præmissis 1.º dicimus, ex eo quod lex aliquem actum prohibeat, non ideo istius actus dicendus est irritus. Nam ut dicit caput *Ad apostolicam*, 16, *de Regulibus*, *Multo fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.* In exemplum sit matrimonium factum, non obstante impedimento prohibente.

Pariter quando lex supponit actum esse annullandum a judice, valet donec interveniat sententia. Ideo dicitur C. *Cum jam dudum*, 18, de *Præbendis*. *Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari.* Pro exemplo adducitur *renuntiatio* alicui officio, facta metu injusto gravi, quæ valida censemur donec per judicem rescindatur.

Dicimus 2.º duplii signo discerni potest utrum *ipso facto* lex annulet actum. Interdum lex *expresse et clare* id dicit, puta cum decernit; *Si secus fiat, actum omni labore carere firmatis.* Interdum lex id dicit *implicite*; ut quando aliquem reddit *inhabitabilem* ad agendum, ad contrahendum, ut facit Concilium Trid. Sess. XXIV, c. 1. *de Matrimonio*; vel quando præscribit certas formas *substantiales* alicujus actus; vel quando sub pena nullitatis excludit certas clausulas, puta appositionem conditionis de futuro, quo sensu valet axiom: *Actus legitimi non recipiunt conditionem neque diem.* (c. 50, *de Reg. Juris* in-6.)

## ARTICULUS III.

### REGULE GENERALES CIRCA PRIVILEGIA ET CIRCA DISPENSATIONES

#### A LEGE COMMUNI.

Privilegia et dispensationes in uno articulo conjungimus, quia inter se habent affinitatem. Cæterum paucissimas observations de atroque proferimus, remittentes tum ad tractatum de *legibus*, tum ad ea quæ in decursu hujus operis dicenda sunt. Vide dicta de *interpretatione* supra. Qualiter expirant *gratiae*, suo loco exponemus.

#### § I.

##### QUID SIT PRIVILEGIUM, QUO TITULO DEBEAT CONSTARE; ET QUANDONAM AMITTATUR?

R. I. Privilegium est gratia specialis et permanens certis personis, dignitatibus aut possessionibus, contra, vel præter *Jus commune*, justis de causis, concessa.

Dicimus *gratia* seu favor. Proinde *Quod in gratiam alicujus conceditur; non est in ejus dispendium retorquendum*, (*de Regulis Juris* 61, in VI).

II. Titulus quo conceditur privilegium, debet esse certus et authenticus; nec sufficeret mera confirmatio privilegii suppositi. *Nam qui confirmat, nihil dat* (c. 3 de Privil.)

III. Amittitur privilegium, non solum per revocationem a superiori factam, sed per renuntiationem illius qui gaudet privilegio; Nam liberum est unicuique Iuri suo renuntiare (cap. 6, de Privil.) At non potest quilibet privatus renuntiare privilegiis, quorum conservatio alicujus corporis aut totius societatis interest, ut patet, etc.

Item amittitur privilegium per abusum: *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* (Cap. Ubi Dist. 74). Quod axioma plerumque in eo tantum sensu valet, quod abutens mereatur per sententiam judicis aut superioris spoliari privilegio.

#### § II.

##### QUID SIT DISPENSATIO, ET CUI DEBEAT DARI?

R. I. Dispensatio est *provida Juris communis relaxatio* in aliquo casu, ad aliquem effectum specialem.

Dispensatio supponit concessionem saltem *implicitam* superioris. Communiter silentium ejus non sufficit: *"Is qui tacet non fatetur; sed nec utique denegare videtur.* (Reg. 44, in VI).

II. *Dispensatio non potest dari sine causa.* Si causa igitur non sit rectè exposita, dispensatio pro variis circumstantiis est subreptitia, vel obreptitia. *Mendax prelator debet carere impetratis* (cap. 15, de Rescript.)

## TRACTATUS PRIMUS.

### DE PERSONIS.

Prolegomenis absolutis, ad materiam adeamus, veterem partitionem servantes: ideoque tribus tractatibus universi juris canonici has institutiones absolvemus: quorum, primus, de personis, secundus, de rebus; tertius denique, de judiciis, agetur. Integri verò omnes desumpti ex *D. J. L. Selvagii libris tribus institutionum canoniarum.*

### CAPUT PRIMUM.

#### DE JURE PERSONARUM.

I. Tria potissimum hominum genera in Ecclesia Christiana veteres Patres agnovere, nimirum *Praefectos*, sive *Clericos*, *Fideles* et *Catechumenos*. Ad rem Eusebii Demonstrat. Evangel. Libro VII, cap. 2. *Tres per singulas Ecclesias ordines: Unus eorum, qui præsunt; duo eorum, qui subjecti sunt; quum Ecclesiæ Christi populus in duos ordines sit divisus, in eorum, qui credunt, et eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adsumti sunt.* Quum igitur Personæ, quas Jus Canonicum respicit, eae sint, quæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque potestati subjiciuntur; hinc priori hoc titulo *de Jure Personarum* acturi, abs re non erit ex producta Eusebii auctoritate Personas in *Clericos*, *Fideles*, sive *Laicos*, et *Catechumenos* partire. Et sane Catechumeni, quippe qui in Ecclesiæ gremium aliqua ratione admissi, aliquando etiam vocati sunt Christiani; ita Syn. Cpolitana Can. VI. *Licet enim, ut Augustinus loquitur Tract. XI in Jo. nondum filii esent, pertinent tamen ad Ecclesiam, ceu servi; immo salutem consequuntur æternam, si mortem subeunt, antequam baptizentur.*

II. De Monachis, et Regularibus quæri solet, num hi aliud Personarum genus in jure nostro constituant. Profecto ubi in Monachorum primævam institutionem inquiras, ad communem fidelium cœtum referendi sunt: at quum in sacris Canonibus a Clericis, et a Laicis plerumque distinguantur, hinc quartum personarum genus constituere videntur. Profecto licet Monachis patuerit dein ad ordines aditus, nunquam tamen vel nomine Clericorum Monachi ad Clerum admissi, vel reliqui ad ordines haud promoti nomine Laicorum accipientur.

#### §. I.

##### ETYMON VOCIS "LAICUS."

III. *Laici* ita dicti sunt a græca voce *populus, plebs, multitudo.* Et sanè plebem Ecclesiæ constituunt nullo peculiari Ecclesiastico munere distinci. Hinc aliquando dicti sunt *Sæculares*, (\*\*) *Syn. Tolet. IV, Can. XXII, alias XXI.* (\*)